



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 759. Testamenti apertura quid & quotuplex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tionem, non inductis relictis illis legatis, hæc quoque invalida sunt, controvertunt AA. affirmativam tenentibus Cujacio & aliis in cit. l. 3. eò quòd, ut ibi, in valido testamento, invalida quoque sunt legata. Negativam Castrenf. in eadem l. 3. Brunem. in l. 30. c. h. r. & aliis apud Reiffenst. num. 751. Arg. ejusdem l. 3. dum ibi deciditur, rupto propter hæredis deletionem testamento deberi adhuc legatum. Distinctionis aliquid addit Lauterb. §. 19. ita ut, si testator deleverit hæredes, quia indignos reputavit, ac ita hæreditas Fisco vindicetur, id legatarii non oblit, sed iis ab eo legata præstanda. si verò deleverit, ut ab intestato decederet, ac ita hæredibus ab intestato venientibus debeatur, & iis deficientibus, Fisco, sustineri quoque legata non

deleta, etsi clausula codicillaris, vi cujus aliàs sustineri solent, in testamento non adfit. Verum, ut vides, hæc distinctio non afficit legata; cum ea in utroque casu solvenda, sed successores, à quibus solvenda. Illud hic ab omnibus admittitur, quòd deletio solum legatorum nihil obstat institutioni hæredum; uti nec deletio fidei commissarii unius legati legato alteri non deletio. per l. 1. ff. de his que in test. dolent. De cetero qualiter specialiter legata aliis præter cancellationem factis, puta rei legata donatione, aliave titulo lucrativo facta alienatione, ita etiam ut non reviviscat postmodum facta illius redemptione, vide apud de Lugo, l. c. num. 60. Molin. d. 194. Valq. c. 8. de testam. §. 1. d. 6. num. 15. &c.

## C A P U T VIII.

### De apertione, publicatione, executione testamenti.

*Quest. 759. Testamenti apertura quid & quotuplex?*

**R** Esp. primò apertura hæc est actus, quo scriptura ultimam voluntatem continens, vel potius membrana, charta, seu tabulæ, in quibus ea exarata apertione, resolutis ligaculis & obfignaculis, quibus eà clausa, aperiuntur, ut in iis contentorum qualitas & tenor inspiciatur & cognoscatur; per quæ posteriora verba indicatur finis apertionis, nimirum, ut dum frequentissima ex ipso testamento tabulis oriuntur controversiæ, quæ decidi & judicari non possunt, nisi inspectis cognitisque earum verbis ab iis, quorum verisimiliter interest, qualiter hæ tabulæ confectæ, an solennitates servatæ, quis hæres institutus, quibus relictum aliquid &c. notitia certa hauriatur. quamvis regulariter jure novo. L. unic. §. 5. c. de caduc. toll. (per quod mutatum est jus vetus, quo aliàs cautum erat, diem adeunda hæreditatis demum ab apertis tabulis testamenti cedere) ita apertio necessaria non sit, sed sufficiat constare hæredi de morte testatoris & conditione, sequæ institutionem esse taliter vel taliter. Dicitur autem: *scriptura continens ultimam voluntatem*: quia vox *testamenti* hic sumitur in sensu latissimo, ut comprehendat etiam testamenta imperfecta, injusta, falsa, in summa omnem voluntatem ultimam. Lauterb. in ff. testam. quemad. aperian. inspic. §. 2. Muller. ibid. ib. 41. lit. y.

2. Resp. secundo: apertura alia est nuda & simplex, quæ fit sine omni solennitate solius notitiæ & cognitionis gratiæ; fierique solet coram aliquot viris honestis. Lauterb. l. c. Alia solennis, quæ est apertio testamenti privati coram iudice competente, convocatis hæredibus & omnibus, quorum interest, etiam testibus, qui sigilla & subscriptiones suas recognoscant, facta.

*Quest. 760. A quibus fiat hæc apertio, quibus concedenda, & qualiter facienda?*

**R** Esp. ad primum: perinde est, à quo aperitur testamentum privatim factum, siue is sit hæres, siue notarius, siue Judex; cum de hoc Ju-

ra in specie nihil statuerint, modò fiat debito modo, de quo paulò post. si tamen alius est, qui testamentum suscepit, ab alio, quàm ab eo apertura fieri nequit. Brunem. ad l. 2. c. testam. quemad. Muller. ibid. th. 42. lit. a.

2. Resp. ad secundum: tametsi hæc apertura potissimum ad hæredem spectet, peti tamen etiam ab aliis & omnibus potest, quorum interest, etsi hæres non sint: omnibusque illis concedendi facultas inspiciendi illud, legendi describendique. L. 1. §. 2. ff. testam. quemad. aper. unde & testamentum, etsi aliàs privatim à privatis, adhibitisque testibus privatis confectum sit, & non ratione autoritatis publicæ, dicitur instrumentum publicum. Lauterb. cit. §. 2. modò prius se calumniandi animo aperturam non desiderare juraverint. per l. 3. c. eod. Interdum tamen Prætor vel Judex totum inspicere & describi non permittit, puta, quò ad partem, quam testator aperiri prohibuit expressè vel tacitè. v. g. in qua pupillares tabulæ sunt descriptæ. cit. l. 3. §. 3. Inst. de pupillari substitu. ubi hanc earum aperturam & lecturam prohibuisse videtur, modò eas testamento adjectas specialiter & seorsim signaverit, licet superscriptum non sit, ne aperirentur. quarum proinde aperturam & inspectionem Prætor non nisi causâ cognitâ permittit; cum hæc apertio sine justa causâ faciendâ non sit ante mortem pupilli. Muller. ib. 41. lit. e. Lauterb. l. c. §. 4. uti etiam Magistratus non concedat aperiri tabulas illius, qui adhuc vivit, vel vivere existimatur aut dubitatur. l. 2. ff. testam. quemadmo. aper. Muller. loc. more citand. Item partem, in qua ad alicujus ignominiam quid continetur; cum nullius interfit, partem, quæ ad alterius ignominiam spectat, inspicere. cit. l. 3. Lauterb. Muller. LL. cit. Item partem, quæ diem & consulem complectitur. ead. l. 3. §. 2. §. 6. ff. eod. eò quòd cognitio tempore, facillè aliud astrueretur testamentum, quasi idem esset cum vero. Lauterb. l. c. §. 4. non secus ac alia instrumenta, quorum editio ante litem contestatam instructionis, non probationis causâ sine die & consule edi solent. juxta l. 1. §. 1. de edendo. Muller. cit. ib. 41. lit. e. Porro si inspiciendi copia negetur hæredi à possessore dictarum tabularum, negante se eas habere, aut oportere exhibere, hæres ad eas vindicandas uti potest rei vindicatione, & actione ad exhibendum experi-